



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1848

2118. Kaiser Friedrich beauftragt den Kurfürsten Albrecht von
Brandenburg und den Bischof von Eichstedt mit der Vermittlung zwischen
der Stadt und dem Erzbisthume Magdeburg, am 16. September 1483.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56633)

2118. Kaiser Friedrich beauftragt den Kurfürsten Albrecht von Brandenburg und den Bischof von Eichstedt mit der Vermittlung zwischen der Stadt und dem Erzbisthume Magdeburg, am 16. September 1483.

Nos Friedericus, Dei gratia Romanus Caesar semper Augustus Imperii, Hungarie, Dalmatie, Croatie etc. Rex, Dux Aultrie, Styrie, Carinthie et Crainie etc. Comes Tyrolie etc. his confitemur et notum facimus. Postquam nos generoso et venerabili Alberto Marchioni Brandenburgico, sacri Romani Imperii Electori et Archicamerario, Stettini, Pomeranie, Cassubiorum et Vandalorum Duci, Burggraui Norinbergensi et Principi Rugiae, nostro dilecto agnato, Electori et compatri, atque Wilhelmo Episcopo Eystadiensi, nostro Principi, consiliario et amico deuoto, in vniuersum ambobus his, aut cuiquam eorum singulariter, per nostras litteras caesareas commisimus, et nostram potestatem ac plenipotentiam obtulimus, vt illi jurata, que nos et Imperium ab vna parte, et venerabilis Ernestus prognatus Dux Saxonie, Administrator diocesis Magdeburgensis et Halberstadenfis, Princeps noster et dilectus deuotus ab altera parte in ciuitate Magdeburgensi obtinuimus, etiam poenam, imputationem, grauamina et impositionem, quas ille Administrator contra honorabiles nostros et Imperii dilectos fideles, consules, tribuum Magistris, Senatores et communitatem predictae ciuitatis veteris Magdeburgensis, contra talia nostra et sacri Imperii iura, et ejusdem ciuitatis Magdeburgensis priuilegia et antiquam consuetudinem sibi attribuit et iis illos a nobis et sacro imperio in suam potestatem abstrahere, et in aliis viis iniquis modis suppressere conatur, cognoscere et intentare debeant, an ille partes propterea beneuole inter se conuenire possint: aut si hoc fieri nequeat, vt tunc nobis rationes et formam cause, prout ea in suis occasionibus inuenta est, in scriptis proprie explicant, vt nos alterius secundum competentiam in eadem, transigendi modum dispiciamus. Veluti etiam id nostre caesaree littere ipsis propterea transmissae expresse declarant et testantur. Quod Nos in eum finem nominatis consulibus, tribuum Magistris et Senatui dicte ciuitatis veteris Magdeburgensis nostram potestatem et mandatum dedimus, et scienter etiam damus vigore harum litterarum, vt nostri, sacri Imperii et sui ipsorummet causa, per semetipsos, aut eorum mandatarios, quibus hanc nostram potestatem vltterius obferent, coram designatis nostris caesareis commissariis in vniuersum, aut singulariter illorum aliquo compareant, et talia nostra sacri Imperii iura, etiam ipsorum priuilegia, antiquam obseruantiam et inde enata gravamina producant, et vnumquodque in his perficere debeant ac valeant, quodcunque in amicabile compositione iuxta predictam nostram caesaream commissionem decencia requirit. Hec nostra est benigna voluntas, et omni tempore hoc ita firmiter seruabimus, quasi nos ipsi id perfecissemus. Ne tamen illi Nobis, aut sacro communi imperio in talibus amicabilibus compositionibus quidquam, quod Nobis et imperio competit, dilapident, et omnia sint absque dolo, in ejus rei testimonium has litteras nostro caesareo appendente sigillo obsignauimus. Datum Gretz die decimo sexto mensis Septembris, post Natiuitatem Christi millesimo quadringentesimo et octuagesimo tertio, Regni nostri Romani quadragesimo quarto, Imperii trigesimo secundo, et regni Hungarici vigesimo quinto anno.

Lat. Uebersetzung, in Boyssens hist. Magazin IV, 150. Werdenhagen de reb. publ. Hans. III, V.